Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Omne porro corpus quamlibet magnum, quamlibet parvum secari
perfecto potest. Quod idcirco illi accidit, quia partibus constat. Nam quic
quid partes habet, potest utique dividi, quia pars potest a parte divel
li. Quapropter si corpus est anima, recipit utique sectionem. Si recipit
sectionem, recipit imminutionem. Si imminutionem recipit, perdita
quisque vivi corporis parte, animae quoque perdidit partem. Cum
parte vero animae perit pars memoriae. Anima ergo cuius imminuta
substantia est, minus debet utique meminisse. Ac per hoc si localis est
anima, multimoda potest sectione comminui, et frequentia
comminutionis aboleri. Sed quia istud mens sana ne dicam
docta non recipit, ut illocalitas animae quantum per nos sub
ope divina perferri potuerit magis appareat, de motibus dis
seramus. Quia dubium non erit sicut corpus est quod movetur
localiter, ita non esse corpus quod localiter non movetur. Tres ergo esse tres motus
motus [scilicet] stabilem, [illocalem, localem] stabilis motus dei est, illocalis animae, localis corpo
ris. Stabilis motus est quod deus creaturam non semper fecit, et tamen
eandem non nova voluntate creare voluit cum creavit, quia
semper eam voluit creare cum fecit. Tunc temporis significatio est, semper
non ad tempus pertinet; tunc ergo istud ad principium temporis perti
net, non ad tempus, quia temporaneus motus stabilitas sempiternae
voluntatis includit. Ac per hoc semper tunc velle stabilis motus
est. Hic oportet accipias nihil moveri posse non ab immoto. Atque
ut id doceam exemplo, digitum certe non stante manu movere
non possumus, manum non stante brachio non movemus. Motui autem
brachii ab humero stabilitas est. Et ut non dicam in motorem ingra
diendo pes unus figendus est, ut alter promoveri queat. Tene
istud cum paulisper animi motum a corporis motu discernimus.
Nam ut sic super dictum est deus stabiliter movetur, sic anima
temporaliter. Temporale est autem quod paulo ante superba nunc humilis,
prius laeta nunc tristis, diligit ante, nunc odit, prius aliquid oblita,
nunc meminit. Huiusmodi autem motibus anima non communicat corpo
ri.